Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 427
Quelle:
Copyright:

Heu male finiui quia non bene ſcribere ſciui.
Igitur habentes petit ſcriptor atque legentes
Equaliter omnes vt ſint eique fauentes
De pneumatis bono quod ſperat in ethere dono.
Splendidior ſtella me diligit vna puella
In tota villa non eſt formoſior illa.
Omnibus orba malis preſcriptio hec manualis.

Sub Anno Domini Milleſimo. CCCC°. ſexto In vigilia penthecoſten per manus Wenczeſlai de Jegerdorff.

III. *fol.* 191. *Incipit Deſcriptio terre ſancte.* Praefatio: *Dilectiſſimo in chriſto ihesu patri fratri burchardo lectori fratrum ordinis predicatorum Maydburck frater burchardus de monte ſyon cum omni deuocione orationes in Domino ihesu chriſto. Quid uobis ſcribam pater kariſſime non invenio* &c. Vide, quae de hoc Viro Sec. XIII. e *Germania* Patria ſua in *Palaeſtinam* profecto, et per 10. annos ibi commorato disquiſivere *Quetifus* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 391. *Fabricius Bibl. med. Lat.* v. *Brocardus*, *Oudinus* in Epiſt. ad *Jac. Baſnagium* praefixa T. IV. *Theſ. Monum. Caniſiani* edit. *Amſt.* 1725. f. Deſcriptio ejus in variis *Codd.* et *Editionibus* varias vices experta eſt partium transpoſitione, interpolatione, ſtili mutatione, ut adeo genuino de *Brocardo* ſeu *Burchardo* ſtatuere difficile evaſerit. Jam *Praefatio*, quam indicavi, a variis abeſt. Invenerat eam tamen in Exemplo ſuo, quod *Pedepontanorum S. Magni* Canonicorum reg. erat, *Henr. Caniſius*, meliusque conſuluiſſet in commune *Baſnagius*, ſi cavillorum loco conquiſitis aliis exemplis illam emendatiorem dediſſet. Id quod e noſtro hic praeſtabo:

Editio	Codex
meum deſiderium	Adde: *adimplevit*
pedibus calcare	*pedibus circuire*
cum parentibus	Adde: *et amicis*
principaliter erat facta	*praeſentialiter erant facta*
et factis honorabilis	*et ſanctorum venerabilia*
Armenia, Chaldaea, India	Praepone: *Georgia*
Chaldaeum	*Chaldaeam*
obediens veſtrae viſioni	*obediens veſtrae juſſioni*
ad decem plagas mundi	*ad quatuor plagas mundi.*
ut reſpondeant novem ventis	*ut reſpondeant duodecim ventis.*

Omiſi